

1520. unca 13. Aprilis. Ex ms. arch. Stan. Aug. Reg. 379

Petrus Tomichi episcopus Cracoviensis
Vicecancellarius.

Joanni Nienperz Civi Gedanensi incarcerato.

109
Fornate domine amice noster dilecte. Gravissimo et molesto semper tulimus animo casum hunc vestrum, in quem vos imprudentem adversa fortuna conjecit, et dedimus equidem diligentem operam cum multis aliis regia Majestatis consiliariis, ut vos in pristinam libertatem vindicare potuissemus, sed hactenus frustra egimus repugnante fortuna, et principis animo indurato, nunc iterum diligenter et copiose scripsimus ad suam Majestatem, et serenissimam dominam et speramus omnino nos voti nostri fieri compotes. Siquidem ad suam Majestatem Dominus Czema in Lithuaniam proficiscitur, qui curabit diligenter negotium ad effectum perducere nostris precibus adhibitis, vos interim boni animi esse, et quod preter operam et voluntatem accidit, equo animo ad tempus fere cupimus, namque et id in meliorem fortunam juvante Deo, uti cetera volent commutabitur. Bene valete, melius sperate, vique sitis memores.
Datum.

